

vivant in communi, et ad pauperes patentibus in-
habitent.

XVIII.

Suffragia defunctorum omnium servari præcipi-
mus, et ne missarum solemniam, præter fundatorum
mentem, alio modo convertantur.

XIX.

Sint episcopi fideles et assidui verbi Dei dispen-
satores. In hoc enim eorum charitas dignoscitur, si
gregem pascant exemplo et verbo.

XX.

Festa absque omni opere forensi excolenda, et cum

A debita veneratione celebranda hæc sunt : Nativitas
Domini, Circumcisio, Epiphania, Annuntiatio beatæ
Mariæ; Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascen-
sio Domini, dies Pentecostes, Nativitas beati Joannis
Baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, Assumptio
beatæ Mariæ, ejusdem Nativitas, Andreæ apostoli, et
dies omnes Dominicales.

XXI.

Ecclesiæ debite dotentur ad alimoniam pastoris
et cleri, ut securius invigilent super gregem, et de
ejus salute sint anxii et solliciti.

ANNO DOMINI DCXXV.

VERUS

RUTHENENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN VERUM.

(Fabric. Bibl. med. et inf. ætatis.)

Verus, episcopus Ruthenensis in Galliis, qui an. 635 concilio Rhemensi interfuit. Epistolæ ejus duæ ad Desiderium episcopum Cadurcensem editæ sunt a Causio, Lect. Ant. t. I, p. 648 et 649; ad ipsum vero datæ sunt epistolæ Sulpitii Severi, episcopi Bituricensis, *ibid.*, p. 645, et Ruricii Lemoviceni, 22 Adde Galliam Christianam t. I, p. 201.

VERI RUTHENENSIS EPISTOLÆ DUÆ.

(Can. Vett. Lect. tom. I.)

I.

Domino semper suo Desiderio papæ Verus pec-
cator.

Jussorium vestrum accepimus una cum exemplari
de litteris domui Sulpitii, ubi dominus innotuit quod
istum placitum de ista synodo frater vester dominus
Sulpitius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc
gratiæ vestræ jam innotueramus per servo vestro
Becobeno diacono, et postea per misso vestro. Sed
quia, Deo volente, dominus innotuit quod mea sug-
gestio continebat, nos gratulati sumus quod de vestra
felicitate votiva gaudia meruimus cognoscere. Interea
reddimus profusum nostri famulatus officium, sup-
plicantes, ut pro nobis Domini misericordiam exor-
rare dignetur; et sæpius nos de vestra jubete felicitate
consolare. Quia Dominus novit omnipotens quod ea
quæ bona sunt, de vos semper audire et videre
optamus. Annis multis vobis servire merear, apos-
tolicè Pater.

II.

Domino illustri, et a nobis peculiariter suscipiendo,

pro Dei cultore domno Desiderio optinati Verus
peccator.

Accedentem filium nostrum Leodoaldum diaconum,
opportunitate duximus ut dominationem vestræ cha-
ritatis inquirere deberem, cum sciamus devotionem
sanctæ animæ vestræ bona semper de parte nostra
optare. Præsertim cum nos vestro præ omnibus pa-
trocinio potiamur. Propterea salutantes eminentiam
vestram; rogamus ut sicut dum patrocinia vestra
elegimus, et hactenus nos defensione protectionis
vestræ insigniter munivit, ita nunc quoque de con-
ditione nepotum nostrorum, unde præfatum vobis
suggerere rogamus, talem sollicitudinem atque in-
stantiam apponatis; unde sicut nos vobis sumus, ita
ipsum quoque acquiratis per omnia debitores. Reduca
etiam antefato, de vestræ felicitatis eminentia, res-
cripto reddito, nostram sollicitudinem dignamini
relevare. Dominus noster Jesus Christus custodiat
corpus et animam vestram in die examinis sui
Amen.